

*De la ...*

LECTURA  
IN TITVLVM  
DIGESTI VETERIS

DE  
Iureiurando,  
Autore  
IOACHIMO ABEVST,  
I. V. D. & Professore &c



*12*  
*18199*

Cum Gratia & Privilegio Cæsareo,

VVITEBERGAE

EXCVDEBAT IOHANNES CRATO,  
ANNO M. D. LXXVI.

AUGVSTVS DEI GRATIA  
DVX SAXONIAE, SACRI ROMANI IMPE-  
RII ARCHIMARSCHALLVS ET ELECTOR, LANDGRA-  
uius Thuringiae, Marchio Misniae, & Burggrauius  
Magdeburgensis.





ILLVSTRISSIMO PRINCIPI AC DOMINO, DOMINO AV-  
GVSTO, DVCI SAXONIAE, SACRI ROMANI  
Imperij Archimarschallo, & Electori, Landgrauio Thuringia,  
Marchioni Misniae, & Burggraui Magdeburgensi, Domino suo clementissimo.



VGET IN HOC PVLCHERRIMO mundi theatro sapientia DEI opificis miranda & inexhausta, & vestigia praesentiae diuinae tam expressa vndique oculis obseruantur, vt animos non prorsus Cyclopicos euidenter conuincant, & esse Deum, mentem architectatricem, & regi mundum atque administrari diuina prouidentia, nec fortuito atomorum Democriti concursu extitisse naturam rerum, nec casu, aut fortuito caecoque impetu ferri vniuersa. Sed nullum est hominis opificio illustrius de Deo testimonium, de quo ipsa vox diuina testatur, conditum hunc esse ad Dei ipsius imaginem, & similitudinem, vt in hoc velut speculo fulgeant illa bona, quae in Deo sunt optima, utque his ipsis donis atque ornamentis non solum ad propria commoda, aut salutem proximi, verum etiam ad celebrandum autorem Deum in omni aeternitate utatur. Insitae sunt enim omnium hominum mentibus firmae & immotae notitiae legis naturae, discernentes inter honesta ciuilia & turpia: suntque haec notitiae radij diuinae atque aeternae sapientiae, lucentes in mentibus, perinde, vt in oculis peculiare lumen inest, quo res obiectae visui cernuntur. Et quanquam tristissimo primorum parentum lapsu partim amissae sunt notitiae plurimarum rerum, partim obscuratae: tamen has ipsas de tota prima & excellenti sapientia superesse in animis voluit DEVS, vt ostendant, quod, & qualis sit Deus, intelligens, sapiens, iustus, verax, castus, vindex scelerum: & quod velit hominem conditori suo conformem esse, & in societate humana viuere ex praescripto illius normae, ac mores honeste regere. Ideo non solum lux illa mentis quid rectum iustumue sit monstrat, & vt inquit Aristoteles, hortatur ad optima: sed

runt ac deriuarunt amplissimam iuris scientiam : hinc responsa de iure, consilia & legum ac consuetudinum interpretationes extiterunt.

Sunt igitur & leges honestæ omnes, congruentes cum iure naturæ, seu Decalogo, vbiuis locorum à sapientibus viris conditæ, ac consensu publico receptæ ac approbatæ, res bonæ, ac Deo placentes, seu potius ipsa vox Dei & radius sapientiæ & iusticiæ in mente diuina fulgens : sunt & iudicia legitima, res bona, & diuinitus concessa & approbata, vt sint nerui societatis humanæ, & iusticiæ præsidia, pacis & disciplinæ publicæ munimenta.

Quod cum ita sit, detestandi sunt furores non solum Antinomorum in Ecclesia, sed & Centauroꝝ cuiuscunq; ætatis, vel loci atq; conditionis, qui sapientiam esse summam existimant, leges atq; iudicia vituperare aut contemnere, Magistratus auctoritatem sophisticè eleuare aut extenuare apud profanam & disciplinæ impatientem multitudinem : deniq; ordinis politici dignitatem in vnuersum conuellere ac labefactare. Nonnulli & eò amentia sunt progressi, vt affirmare non dubitarint, literarum studia & liberalem eruditionem, qualem Scholæ profitentur, necessariam non esse, nec scriptis legibus, sed arbitrio, seu calliditate ingenij cuiuscq; dirimendas esse controuersias.

Meminimus & nostra ætate quosdam indoctos vociferatos fuisse, Mosis leges in forum reuocandas : alios etiam imperitiores contendisse, omninò nouum ius ex Euangelio eudendum esse. Etsi autem hæc portentosa fanaticorum hominum deliramenta sæpe perspicuis & firmissimis rationibus alibi à multis viris doctis refutata sunt : tamen non desunt etiam nostro seculo homines efferi & barbarici, qui veterem *νεγυβή*, & hoc tetrum virus renouare non verentur : qui cum iusticiam, honestatem & disciplinam in vita & moribus negligant, nec tam hominibus mente præditis, quàm Cycloꝝ agmini similes sint, in quos Euripideum illud congruat : *ὄλεσθαι, ἀντιπαιδῶν ἐδῶν ἐδῶν* ipso facto testantur, se leges tanquam iniusta vincula & carcerem odisse, & hos frenos furenter excutere velle. Hi vt Hippias apud Platonem, leges falsò tyrannidis accusant,



LECTURA IN DVODE-  
CIMI LIBRI DIGESTORVM TITV-  
LVM SECVNDVM, DE IVREIVRAN-  
DO SIVE VOLVNTARIO, SIVE NE-  
cellario, siue Iudiciali,

AVTORE

IOACHIMO A BEVST, I. V. DOCTO-  
RE, PROFESSORE ORDINARIO ET SE-  
niore Iuridicæ facultatis in Academia VVitebergense, Ducis  
Electoris Saxonix Consiliario &c.

R VBRICA.

1. *Dictum Lysandri declaratum exemplis.*
2. *Iuramenta iusta & honesta seruanda.*
3. *Iuramentum seruandum, si non vergat in detrimentum salutis æternæ, & non dolo vel vi sit extortum.*
4. *Responsum Hippolyti, Phædra incestam consuetudinem petente.*
5. *Iuramentum non debere vinculum esse iniquitatis.*
6. *Iuramenti comites tres sunt: VERITAS: IVDICIUM: IVSTITIA.*
7. *Furiosos, mente captos, infantes & infantie proximos nec iurare, nec iurando se obligare posse.*
8. *Pupillos pubertati proximos iurare posse.*
9. *Iuramenta sine dolo & vi præstanda.*
10. *Iuramentum metu præstitum, quando sit obligatorium.*
11. *Iuramentum quando sit seruandum, remissiuè.*
12. *Utilitas presentis tituli.*
13. *Non multa sed pauca cum iudicio esse proponenda.*
14. *Dictum Senecæ.*
15. *Vsum legum ostendere, maximè necessarium & utile.*
16. *Prædicam in foro Saxonico exercentes, non decere ignaros esse iuris Saxonici.*
17. *Ordo in explicatione huius tituli obseruatus.*
18. *Bartoli laus remissiuè.*
19. *Continuationem ad proximum titulum fieri debere.*
20. *Continuatio huius tituli ad præcedentem.*
21. *Continuatio quomodo fieri debeat, remissiuè.*
22. *Rubricarum vsum duplicem esse.*
23. *Argumentum à titulorum ordine sumi posse.*
24. *Tutorem datiuum confirmatum, præferri legitimo.*
25. *Rubricas allegari posse ad decisionem causarum, & num. 27.*

A

26. Eru-

interpretatione eludenda, sed seruanda, sicut scriptum est Exod. 20.  
Leuit. 19. Deut. & Matth. 5. Reddes Domino iuramenta tua.

Cui voci diuinæ astipulatur & ius nostrum. **O**mne enim iuramentum, quod non vergit in detrimentum salutis æternæ, seruandum est. c. cum contingat. de iureiur. nisi sit dolo vel vi extortum. c. quamuis de pact. in 6. vel nisi sit contra bonos mores. c. non est obligatorium. de regul. iur. in 6. l. generaliter cum l. seq. i. de verb. oblig. l. pacta, quæ contra. & l. ult. C. de pact. & §. quod turpi. Instit. de inu. util. stipular. & casus notabiles, in quib. iuramentum non valet, refert Bald. h. ibi: secundo nota. & Ang. in §. æquè. num. 10. Inst. de excep.

Sic Hippolytus<sup>+</sup> cum iurauit Phædræ, se facturum esse quod peteret, ipsa postea petente incestam consuetudinem, rectè respondit, se non obligari iuramento, inquit: Lingua iurati, mentem iniuram gero, vt est apud Eurip. in Hippol. **N**on enim iuramentum debet esse vinculum iniquitatis. c. quanto de iureiur. & c. inter cætera 22. q. 4. sed tres<sup>+</sup> comites habere. **P**rimò **V**ERITATEM, vt quis in sua conscientia sciat, se verum iurare. **S**ecundò **I**VDICIVM, vt quis sit eius iudicij & consilij, vt intelligat vim iuramenti. **T**ertiò **I**VSTICIAM, vt iuret quis quod iustum & licitum sit. c. cñs Christus. de iureiur. & c. animaduertendum. 22. q. 2.

Iurare<sup>+</sup> itaq; & iuramento se obligare non possunt furiosi & mente capti: cum non sint compotes mentis, l. qui testamento. §. ne furiosus. i. de testam. & l. 2. §. 1. s. de procurat. & absentium loco habentur. l. 2. §. furiosus. i. de iur. codic. Sicut nec infantes vel infantia proximi iuramento obligantur: cum nec velle nec nolle credantur. l. pupillus i. de reg. iur. nec peierate, nec scientes fallere videntur. l. qui iurasse. in fin. prin. i hoc tit. no. nec consilij sint capaces, nec scire nec discernere possint. l. more. in fin. cum l. seq. i. de acquir. vel omit. hæred. & ignorent, quid videant. l. 1. §. impuberes. C. de fals. mon. & sint sine ætate rationabili. c. paruuli. 22. q. 5. & omnia dent pro vno pomo, vel vna bursa, vt inquit Fab. in princ. num. 1. Instit. de auth. tut.

Etsi<sup>+</sup> autem pupillus ante decimum quartum annum iurare non cogitur. l. iurandum et ad pecunias. §. pupillo. et ibi. gl. 1. i. h. tit. no. & d. c. paruuli. cum duob. cc. seqq. tamen proximus pubertati, & sic doli capax iurare, & iurando se potest obligare. c. ex literis. cl. 2. & ibi. gl. in ver. iuramento. & Pan. num. 6. de sponsal. d. l. qui iurasse. in princ. i. h. tit. no. Bart. in auth. sacramenta puberum. num. 9 & lal. num. 15. cum seqq. C. si aduers. vendit. & Pan. in cons. 39. incip. duo sunt examini subijcienda. num. 1. verf. secundo principaliter. par. 1.

Debet<sup>+</sup> autem iudicium esse liberum, ita vt iuramentum spontè sine vi & dolo præstetur. Nam iuramenta per dolum vel vim extorta, non sunt obligatoria. d. auth. sacramenta puberum. & c. cum contingat. de iureiur. c. 2. eod. in 6. c. quamuis de pact. in 6. argumens to sumto à contrario sensu.